



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Qualiter generi humano dignatus est subvenire Deus Pater, & de Verbi  
incarnatione, & gratiarum actione, 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

erga delinquentes patientissimum, erga pœnitentes piissimum: semper id ipsum æternum ac sempiternum: immortalem atque incommutabilem, quem nec spatia dilatant, nec brevitās locorum angustat, nec receptacula ulla coarctant; nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec lata demulcent. Cui nec oblivio tollit quicquam, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit: sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula in æternum vivis: & est tibi perennis laus & æterna gloria, summa potestas & singularis honor, perpetuum regnum, & sine fine imperium, per infinita & indefessa & immortalia sæcula sæculorum.

## CAPUT XIII.

*Qualiter generi humano dignatus est subvenire  
Deus Pater, & de Verbi incarnatione,  
& gratiarum actione.*

I. **H**ucusque omnipotens Deus, cordis mei inspector & scrutator, confessus sum omnipotentiam Majestatis tuæ, & Majestatem omnipotentia tuæ: nunc autem qualiter humano generi subvenire dignatus es in fine sæculorum, sicut corde credo ad justitiam, ita ore coram te confiteor ad salutem. Tu quidem Deus Pater solus, nunquam & nusquam legeris missus. De filio autem tuo ita scribit Apostolus: Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.

suum. Cum dicit, ( misit ) satis ostendit, quod in hunc mundum missus advenit, cum de beata Maria semper Virgine natus, verus & perfectus homo in carne apparuit.

2. Sed quid est, quod de illo ille Evangelitarum præcipuus ait: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Illuc vero missus est per humanitatem, ubi semper fuit, & est per divinitatem. Quam videlicet missionem opus esse totius sanctæ Trinitatis corde credo, & ore confiteor. Quomodo autem nos amasti, Pater sancte & bone? quantum nos dilexisti, pie conditor, qui etiam proprio filio non pepercisti, sed pro nobis implis tradidisti illum? Subditus tibi ille fuit usque ad mortem, mortem autem crucis, tollens chirographum peccatorum nostrorum, & affigens illud cruci, crucifixit peccatum, & occidit mortem. Vnus ille inter mortuos liber, potestatem habens ponendi animam suam pro nobis, & iterum sumendi eam pro nobis.

3. Igitur victor & victima, & ideo victor, quia victima pro nobis. Tibi sacerdos & sacrificium, & ideo Sacerdos, quia sacrificium. Merito mihi spes valida in illo est, quia sanabis omnes languores meos per eam, qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. Languores quippe mei, Domine, magni sunt & multi: multi sunt & magni. Habet enim multa in me princeps mundi hujus; scio & fateor; sed rogo te, libera me per sedentem ad dexteram tuam Redemptorem nostrum, in quo nihil sui mali

mali potuit invenire. Per ipsum me iustifica, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Per ipsum caput nostrum, in quo nulla est macula, libera me membrum ejus, licet exiguum & infirmum. Libera, quæso, me à peccatis, vitiis, culpis & negligentis meis. Reple me tuis sanctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus. Fac me in sanctis operibus propter nomen sanctum tuum perseverare usque in finem, secundum tuam voluntatem.

## CAPUT XIV.

*De fiducia, quam habere debet anima in Domino Iesu, atque ejus passione.*

1. **D**esperare utique potuissem propter nimia peccata mea, infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare jam non audeo; quia cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii tui, quanto magis reconciliati salvi facti sumus per eum? Omnis namque spes & totius fiducia certitudo mihi est in precioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos, & propter salutem nostram. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te pervenire desidero; non habens meam justitiam, sed eam quæ est ex filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Unde gratias agimus tibi, clementissime & benignissime amator hominum Deus, qui per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, cum non essemus, potenter fecisti nos: & cum perditis fuisset culpa  
nostra,